



13630

DISSERTATIO JURIDICA,
DE

3/ 1689, 4

ARRHIS,

17

Quam

Adspirante Divini Numinis Gratiâ,
&
Consentiente Amplissimâ Facultate Juridicâ,

in
ILLUSTRI ALBERTINA,

Sub moderamine

Viri Pranobilissimi, Amplissimi atq; Excellentissimi

DN. ACHATII CHRISTIANI

MANBER /

J. U. D. & Antecessoris hujus Academiæ famigeratissimi,
ut & Consistorii Sambiensis Assessoris Gravissimi, Præceptoris ac
Patroni sui ætatem devenerandi,

Publicè ventilandam exponet

CHRISTOPHORUS EGGERDES, Livon.

Philos. & L.L. Stud.

AUTOR & RESPONDENS,

31

IN AUDITORIO MAJORI,
ANNO M DC LXXXIX. d. Martii.

REGIOMONTI, PRÆLO REUSNERIANO.



ILLUSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO
DOMINO LAURENTIO FLEMMING,

Libero Baroni in Liebelitz,

DNO. in Melby, Ringen, Kavelecht, &c. &c.

Sacræ Regiæ Majestatis Sueciæ Senatori eminentissimo, & Supremi
in Regio Ducatu Livoniæ Dicafterii Præsidi Summo,

DNO. MEO GRATIOSISSIMO,

*Illustribus, Magnificis, Genero-
sissimis, antiquitate generis & pro-
sapiâ Nobilissimis, & maximè
Strenuis*

DN. OTTONI de STACKEL-
BERG, Hæreditario in Arras, Jegel
& Wagenkull.

DN. OTTONI FRIDERICO
de VITTINGHOFF,
Hæredit. in Coss. &c.

DN. ERNESTO FRIDERICO
de REICHOVEN,
Hæredit. in Fegen, Fehsen &
Schwarzhof.

*Regii Ducatus Livonici Se-
natoribus Provincialibus & Supre-
mi ejusdem Dicafterii Regii
Consiliariis Excellen-
tissimis.*

*Supremi Dicafterii Regii Livonici Consiliariis Gravissimis,
ut &, Nobilissimis & Consultissimis,*

DN. JOHANNI CASPARO KNIFFIO, ejusdem Dicafterii Regii Suec.
Secr. meritissimo.

DN. JOHANN de BROEMSEN, ejusdem supremi Dicafterii Regii
Protonot. digniss.

Patribus Patriæ, Macenatibus, Evergetis ac Promotoribus devenerandis

*Magnifico, Generosissimo &
maximè Strenuo*

DN. CHRISTOPHORO de STE-
GELINGEN, Hæred. in Koick. &c.
Supremi Dicafterii Regii Livonici Vice-Præ-
sidi & Consiliario Provinciali in Insulâ
Oesiliâ longè meritissimo,

*Illustri, Generosis, Nobilissimis atque
Amplissimis*

DN. JOHANNI de RIGEMAN,
Hæredit. in Ringenbergshof/ &c.

DN. ERNESTO de SHMIDEN,

DN. JOHANNI WILHELMO UL-
RICH, de Rujel. Hæred. in Uchten
& Rewold.

DN. HERMAN GEORGE von
TRAUTVETTER, Hæred. in Kroppehof &c.

DN. CONSTANTI SEBALDO
de GRAMMAN,

DN. DAVIDI de CUNITZ,

DN. JORAM FLEMMING,
Libero Baroni in Liebelitz, &c.

DN. HENRICO de ELSWIG,

S. P. D.

A U T O R.

VESTRIS, MAGNI PATRIÆ PATRES,
tanquam firmissimo clypeo munitas Nomi-
nibus, VOBIS itidem humillimâ animi de-
votione hasce offero pagellas. Quos enim ab antiquis
derivata Majoribus Nobilitas, & propriis Virtutibus
aucta gloria in tantum dignitatis evexit fastigium, eos,
quamdiu Spiritus hos reget artus, submissâ veneratio-
ne prosequi constitui: quemadmodum etiam in syl-
vis non conculcata vepreta, sed summos cedrorum
vertices, in hortis non sentes sed rosas, in cœlo non
minutum stellarum pulverem, sed solem cœteraq; pri-
mæ magnitudinis sidera admirari soleo. Ego sane
Academicis hætenus involutus tenebris, dum tan-
dem aliquando in lucem prodeò, non nisi VESTRIS,
SPLENDIDISSIMA PATRIÆ LUMINA, coruscare
possum radiis. Id equidem unicè doleo, & simul fa-
teor, me nihil tale in VESTRUM producere conspe-
ctum, quod perfectum ingenio elaboratumque indu-
striâ dici possit. Nec tamen est, quod hyberno hoc-
ce tempore maturiores ab ingenio meo expectetis
fructus, qui utique feliciores futuri sunt, ubi fortunæ
meæ Ver, VESTRI favoris sole accersitum, affulse-
rit. Nec vilitas exigui hujus munusculi VOS, HE-
ROICA

ROICA PECTORA, in contemptum sui deducat.
Non enim splendidis inclyta opibus Juno, neque
prædâ & aureis onustus spoliis Mars; sed Apollo &
Musæ, aliique, quos ingeniosi Poëtæ finxerunt, Genii
Parnasso præsident, carmina sua non auro nec ebori,
sed vilibus inscribere soliti foliis. Quam ob rem
serenâ fronte hæc, quas VESTRIS, NUMINA
PATRIÆ, consecrare debui aris, aspiciate arrhas, ju-
cundius omninò sacrificium futuras, si favoris VE-
STRI flammæ eis accesserint. Ego certè istis arrhis
perfectum meum erga VOS confiteor studium, quod
tum demum consummatum erit, cum ad Patrios re-
dux focos, Potentissimi VESTRI particeps factus
fuero Patrocinii. Valete interea MAGNI PA-
TRIÆ PATRES & favete

VESTRARUM
ILL. MM. GG. AA. CC.
NOBILITATUM

subjectissimo Clienti

CHRISTOPHORO EGGERDES,
Phil. & LL. Stud.

Σὺν τῷ Θεῷ ἀγαθῶ!

§. I.



Primè Jctus Ulpianus in *pr. l. 1. ff. de just. & jure, juri operam daturum*, inquit, prius nosse oportet, unde nomen juris descendat, quem in Disputatione hac imitari placet, & in principio ejus, unde Arrhæ dicantur, exponere lubet. Quamvis autem diversæ hoc de Vocabulo Ddrum circumferantur sententiæ, & Isidor. *Lib. 10. Etym. cap. ult.* illud à re, pro quâ datur, derivet; Nihilominus tamen istud ex Græco scature fonte opinamur: diciturque arrha vel secundum Hotom. in *pr. Inst. de Empt. Vend.* à græco ἀρραβὼν, quod Veteres verbis arrhabonem exprimebant Latinis, ut Varro *Lib. 4. de Ling. lat.* notat, & Plauti Terentiique Testimoniis comprobari potest, Veteribusque pro obside accipiebatur, ut ex M. Catonis verbis videre licet apud A. Gellium *Lib. 17. c. 2.* Sic & apud Terent. in *Heaut. act. 3. scen. 3.* reperitur, *reliquit filiam adolescentulam, ea relicta huic arrhaboni est pro illo argento*: Vel quod aliis magis placet, à græco verbo ἀρραγῆς, quod validum & firmum significat, Harprecht. *ad pr. J. de Empt.* eò quod illarū interventu contractus magis confirmetur. Alias arrham simpliciter pignus esse apud idoneos Autores testatur Calvinus in Lexico juris hic, daturque arrha pro quacunque re promissa, ut compleatur.

§. II.

Est autem arrha Jctis res, quæ in meliorem probationem & confirmationem certis negotiis additur: Res est, quoniam in arrhæ dationem non solum nummi, verum etiam res quælibet, præprimis mobiles, quæ sunt in commercio, & donari tradique possunt, veniunt. *l. 2. C. qn. licet ab emt. disced. l. ex empto n. §. 6. ff. de act. emt. l. 5. §. 15. ff. de instit. Actione.* Cujac. *Lib. XI observ. c. 17.* Sic in Sponsalibus non tantum nummi, sed & annulus pronubus, vel monilla, arrhæ nomine dantur: Usus ejus inde fluxisse videtur, quod cum olim nondum invento nummo incommodum esset Plaustra æris statim advehere, primum modicum æs in signum Contractus perfecti dari coeptum est, qui mos & hodiè ex rationabili consuetudine retentus, Boekelm. in *Comm. ad Pand.*

A 3

Tit.

*Tit. de contrab. emt. §. 10. Verbis in meliorem probationem
& confirmationem indicatur*, quod arrhæ in negotiis, quibus
adduntur, non sint de essentia eorum, sed tantum ad accidentia refe-
rantur, siquidem arrhas non facere & consummare negotia, sed tan-
tum evidentius testari de istis factis & consummatis constat *l. 35. ff. de
contrab. emt. l. 6. §. 1. ult. de Leg. Comm. l. 11. §. 6. is qui vina ff. de act.
emt. l. 5. §. item si institor. ff. de institor. l. 17. C. de fid. Instr.*

§. III.

Data Definitione addenda quoque divisio arrharum: Divisio enim
tria operatur bona secundum Glossam, animum legentis incitat, men-
tem intelligentis præparat, ac memoriam artificiosè informat: Sunt er-
go Arrhæ aliæ emptionales aliæ Sponsalitiæ, à quibus differunt proxeneti-
ca, Aliæ locatoriæ, aliæ Honorariæ, & denique aliæ Appellatoriæ, quas
omnes in Dissertatione præsentis excutere animus est.

§. IV.

Arrha Emptionalis seu in Contractu Emptionis Venditionis est id,
quod datur plerumque ab Eratore in signum & argumentum Contractus
celebrati, & quasi pignus, quod firmat Contractum. Unde Cajus Jctus
in *l. 35. ff. de contrab. emt.* ait, *quod sæpe arrha nomine pro emptio-
ne datur, non eò pertinet, quasi sine arrha conventio nihil proficiat,
sed ut evidentius probari possit convenisse de pretio.* Jure Civili qui-
dem cautum, ut, cum ea in nummis consistit, in pretium computetur.
l. 8. ff. de Leg. Commiss. si in annulo vel alia re, separatim retineatur,
vel soluto pretio restituatur, prout conventum, Cujac. *l. supra alleg.*
Ast moribus nostris, nisi id specialiter conventum sit, non fit arrhæ,
utut pecuniariæ computatio in pretium, sed semper pretium solvitur &
retinetur, Mœvius ad jus Lub. *part. 3. Tit. 6. art. 6.*

§. V.

Ingens hic contentio est inter Jctos celeberrimos Johannem Reb-
han Antecessorem quondam Argentoratensem & Henricum Hahnium
Antecess. Helmstadiensem, an arrharum datio sit verus Contractus? Reb-
han in Hodegota juris *p. m. 527. & seqq.* defendit arrharum dationem
esse verum & quasi per se subsistentem Contractum; Hahnium verò in
Not. ad Wesemb. Tit. de contrab. emt. n. 9. probatum dedit, arrhæ da-
tionem esse quidem pro Contractu vel quasi contractu, quatenus particula
quasi

quasi est vox improprietatis & abusivis. *l. 14. §. 1. de Usurp. & Usucap.*
non autem verum Contractum; quam sententiam & nos tenemus pro-
pter egregias rationes, quarum optima hæc est, quot arrhæ emptiona-
les non pariant actionem personalem, sed tantum præparent eandem;
aliud enim est præparare, aliud parere actionem. conf. Cujac. *Lib. 10.
obs. c. 24.* Deinde datio arrhæ non fit eum in finem, ut iterum aliquid
detur vel fiat, & propterea ne quidem est contractus innominatus. Fa-
temur quidem, arrhæ dationem esse actum, quo arrha datur, ut constet
negotium esse celebratum, idque sic probetur & confirmetur, inde tamen
concludi non potest, eam esse Contractum, quandoquidem differentia
inter actum & Contractum Tyronibus juris nota; Nec obstat, arrhæda-
tionem accedere vel ad contractum perficiendum vel perfectum, & pro-
pterea illam esse contractum innominatum; illo casu do ut facias, h. e.
perficias Contractum; Hoc verò do ut des, h. e. ut tradas rem vendi-
tam; sed responderi potest, Contractum innominatum ibi esse, ubi agi-
tur negotium do ut des, vel facias, *si nimirum vero & expres-
so consensu & principaliter hoc actū est, inter contrahentes;*
arrham autem dari, ut negotium, quod ortum est, evidentius probetur.
l. 35. ff. de contrab. emt.

§. VI.

Cum vero jure communi cautum sit, ut siquidem emptor à Con-
tractu resiliat, ille arrhas solutas amittat, si venditor, duplicatas restituat,
pr. Inst. de emt. Vend. inde nata est disceptatio vexatissima; An em-
tione perfectâ, arrharum amissione à Contractu recedere quis possit?
Nos sententiam negativam veriore esse censemus, quoniam Contra-
ctus ab initio omnes sunt voluntatis, postea autem fiunt necessitatis *l. 5.
C. de Obl. & Act.* Ergo & emtio venditio, in quâ id eò magis obtinere
debet, quod ad ejus dissolutionem utriusq; consensus & res integra nomi-
natim requiratur. §. *ult. §. quib. mod. toll. Obl.* adeò ut ne Principis
quidem rescripto effici possit, ut ab eâ recedere liceat. *l. 3. C. de rescind.
Vend.* Et cum omnes fateri debeant simpliciter & sine arrhis contra-
ctam emtionem unius voluntate non posse fieri irritam, absurdum foret,
si diceremus, eandem arrharum datione facilius infirmari, quia arrhæ
non ad infirmandum sed confirmandum magis negotium dantur. Et
hæc communior est sententia, quam consuetudo ususque fori Germa-
niæ

nixæ probat. *conf. Bachov. ad pr. Inst. de Emt. Vend. Heig. ibidem, Boekelm. ad Tit. ff. de contrab. emt.*

§. VII.

Sunt tamen etiam, qui à dicta sententia Juris Civil. dissentiunt, moti variis rationibus, quarum potissima est ex *pr. Inst. de Emt. Vend. § l. 17. C. de fid. Instr.* sed responsio est facilis. Textus enim allegati non de emtione perfecta, sed de tractatu de vendendo nondum ad finem perducto loquuntur. *Vid. Wesemb. in paratit. Tit. de contrab. Emt. ibidemque Hahnus.* Excipiunt dissentientes, Justinianum Imperatorem *in pr. Inst. de Emt. Vend.* dicere arrham esse venditionis contractæ argumentum, indeque concludunt leg. oppos. loqui de perfectâ emtione & Venditione; At respondetur, eos committere hic fall. à dicto secundum quid ad dictum simpliciter: Per Contractam enim Venditionem intelligit Imperator illam, quæ habet consensum super re & pretio, sed tamen quæ nondum perfecta est, ob defectum eorum, quæ ex pacto adesse debent; Opponi hic etiam solet *l. ult. ff. de leg. Commiss.* sed apertam Opponentes committunt fallaciam ignorantis Elenchi, quandoquidem textus alleg. de emtione ex pacto utriusque resolutâ loquitur. Nec ad rem facit, quod per dationem arrharum tacitè id actum videatur, ut liceat cum damno arrharum recedere à Contractu: cum nostrum non sit inducere facilè tacita pacta sine lege *add. Bachov. d. pr. Inst. de Emt. Vend.*

§. IIX.

Cæterum ab imperfectâ vel eâ conditione expressè initâ Emptione, cum arrharum dispendio recedi posse patet *ex pr. Inst. de Empt. Vend. § l. 11. §. 6. ff. de Act. Emt.* In Emptione Venditione verò in scripturam redigendâ licet pœnitere citra jacturam arrharum, quia Contractus in scripturam redigendus perfectionem suam tum demum accipit, quando Emptionis instrumenta sunt conscripta & à Contrahentibus subscripta, & sic tacitam semper conditionem adnexam habet; Sed quam actione Emptor repetet arrham? Boekelmannus *in l. supra alleg.* distinguendum esse putat, utrum emptio perfecta rescindatur voluntate utriusque contrahentis, & hoc in casu dandam esse conditionem sine causa, vel Conditionem causa data causa non secuta, vel Actionem Empti utilem ex *l. 11. §. 6. ff. de Act. emt.* quæ postrema quidem etiam ad distrahendum possit ubi consensu partium discessum ab emptione, verum plane extraordinem,

ordinem, Juliano & Ulpiano diserte fatentibus, nimirum, ut emptor pro arrhâ repetendâ eò plures actiones habeat; Quando autem à tractatu de vendendo recedit venditor, tum emptor arrham repetit conditione *ex l. 17. C. de fid. instrum.* Denique arrhæ certo pacto Contractui in continenti adjecto promissæ, rectè actione ex empto peti possunt, aliàs arrhæ simpliciter ita dictæ & nondum in stipulationem deductæ nul- lam producunt de jure Civili actionem; Pactum illud, quo promit- tuntur arrhæ appellatur Arrale, seu arrhabonicum pactum. *l. 3. §. ibi. Gothofr. C. de act. vend. §. emt.*

§. IX.

Sed quid dicendum de Emptionibus Venditionibus, quibus pacta celebriora in jure notissima sunt adjecta? Nimirum pactum primum ce- lebre est Lex Commissaria, quæ est pactum, quo res ita venditur, ut nisi intra certum diem pretium solvatur, res sit inempta: Hæc Venditio purè intelligitur contracta, ita ut si emptor huic Legi seu pacto non pareat, amittat arrham & partem pretii prænumeratam, scil. ob fidem non servatam. *l. 4. §. 1. l. 6. in pr. de Leg. Comm. l. 25. ff. de petit. hered.* Hoc pactum Commissorium habet quoque locum in similibus negotiis, sed non in pignore. *l. ult. C. de pactis pignor. c. 7. X. depign.* Secun- dum pactum celebre est Addictio in diem, quæ est pactum ubi aliqua res ita addicitur pro certo pretio, ut intra certum tempus, alio meliorem conditionem adferente, venditio retractetur. *l. 1. ff. de in diem add.* Pura est hæc venditio, si hoc pactum, ut meliori allatâ conditione dis- cedatur à Contractu; sed conditionalis, si hoc actum, ut perficiatur si non alia afferatur melior. Arrhæ quæ huic conditionali adjiciuntur, eum non reddunt firmiorem, nec si invalidetur, perduntur sed restitui debent.

§. X.

Idem statuendum est de Retractu, german. *der Näherkauff oder Einspruch* / qui est jus impediendi alium emtorem & redimendi rem immobilem, vel ei æquipollentem intra certum tempus certis personis oblato eodem pretio concessum. *Hahn. in Obs. ad Wesemb. Tit. de rescind. vend. verb. retractu*, dividiturque in Conventionalem & Lega- lem: Ille vel est Pactum de retrovendendo, vel de prius offerenda re, quando emptor vult vendere, quod in specie dicitur jus *ὑπομίσσεως*; Pactum autem de retrovendendo in hoc differt à pacto protimiseos, quod

B

quod

quod ex illo Emptor præcisè teneatur mihi rem retrovendere, ex hoc vero non, sed si lubens vendere velit, tenetur mihi prius offerre. Reink. *de retract. Consang. qu. 1.* Carpz. *p. 2. c. 1. d. 1.* Hic scilicet Legalis seu Consuetudinarius & in jure Divino, ut *Lev. 25. v. 25. Ruth. 4 v. 3. & 4. Jerem. 32 v. 7.* fundatur nec non consuetudine & nova Frid. Imperatoris Constitutione confirmatur, & Jure Pontificio *vid. c. 8. X. de restit. in integrum*, corroboratur. Rationem ejus juris introducendi assignat Tiraq. *in Prefat. de retract. num. 33.* ut res in illam redeat familiam, unde exierat; interest enim nostra rem, quæ majorum nostrorum fuit, nos habere. *l. 35. ff. de minor. cum aliàs lugubre sit, vendere domos in quibus pater defecit, minor crevit. Sc. l. 22. C. de admin. Tut.* & datur ratione sanguinis Consanguineis proximis, diciturque in specie Gentilitius Retractus & per omnia ferè ordinem & jus successionis ab intestato imitatur. Reink. *de retracto Consang.* Datur etiam retractus Legalis sive consuetudinarius ratione vicinitatis, Societatis, Communione, Crediti inter licitatores, Dominii directi &c. *l. 16. ff. de reb. aut. jud. possid. l. fin. C. de jure Emphyt. 2. Feud. 3. & 2. Feud. 9. §. 1.* Hartm. Pistor. *L. 2. p. 1. q. 11. n. 11.* Si ergo arrhis Contractus emtionis Vend. est confirmatus, deinde autem Retractu infirmatur, arrhæ emptori à Venditore, quoniam emptor non est in culpa, sunt restituendæ.

§. XI.

Solent etiam ad Contractum Emtionis Vendit: accedere nummi bibales, Weinkauff / qui non habent vim arrhæ, sed ideò dantur, ut hi, qui præsentés fuerunt & biberunt, recordentur hujus negotii, & ubi opus, celebrati Contractus Testes existant; Tale quid est etiam sanctus denarius secundum Besoldum *in Thesuro præf. verbo Weinkauff;* Olim enim ex pietate conveniri solebat, ut contractu perfecto à Contractantibus aliquid in res sacras vel pauperes erogaretur pio Zelo, ut Contractus faustus felixque procederet: quod alicubi locorum adhuc hodie fit; attamen hoc non est arrha, quæ datur ut danti repetere liceat, sed sanctus denarius, qui in pauperes vel domesticos erogatur ab emptore & nunquam repetitur. *vid. Zas. Lib. 2. singul. respons. 24. n. 5. Mœv. l. supra alleg.* qui addit hodiè ea munera ex consuetudine, nisi aliud constet, pro arrha capi & haberi.

§. XII.

Arrhis Emtonalibus hætenus delibatis, ad Sponsalicias nos convertimus; Sunt autem arrhæ sponsalitiæ id, quod conventionem factam de
Matri-

Matrimonio inter aliquos futuro traditur in pignus, robur atque firmitatem. Molin. *de just. & jure Tract. 2. Disput. 434.* Hillig. Donell. Enucl. unde etiam *Hand-Treu / Liebes Pfand /* germ. vocantur, quæ & olim jam plerumque interveniebant; sed non pertinent ad materiam sponsaliorum, sed potius ad formam eorum accidentalem seu ad ritum; licet enim nulla earum data sit, sponsalia tamen subsistere possunt, dummodò ea aliàs legitimè contracta esse, apertè probari possit; Indeque Tritum illud, *Arrhas de honestate non de necessitate adhiberi*, fluxisse statuit Hahn. *ad VVesemb. Tit. de Spons n. 5.* Erantque ejusmodi arrhæ haud dissimiles eis, quæ in Contractibus Emptionis & Venditionis & aliis similibus adhiberi solent, ad firmitatem, quod opere implebuntur.

§. XIII.

Olim quidem arrham Sponsus dabat non Sponsa, Cujac. *Lib. 4 Observ. cap. 26.* qui Accursium notat putantem & à sponsâ arrham dari; aliter tamen se res hodiè habet, quandoquidem & sponsus & sponsa sibi invicem arrhas donant, in fidem mutuan & securitatem rei gestæ; Arrharum autem antiquarum à Sponso Sponsæ datarum origo hæc est: Consuetudo fuit apud Majores nostros, ut Sponsus & Sponsa inituri foedus Matrimonii se invicem coëmerent; factâ igitur pretii conventionem & Sponsa emebat Sponsum dotis pretio, id quod Plautus indicat, quando dicit: *Imperium accepi, dote Libertatem vendidi.* Econtrario sponsus emebat sponsam. *Unde & illud Virgilianum ex I. Georg.*

Teg, sibi generum Thetys emat omnibus undis,

Hinc ille dotem accipit, quia emptus est à Sponsâ; Illa verò tantum accipit arrhas, quæ sunt quasi quoddam emptionis signum. Arrharum porro sponsalitarum datio antiquissima res est, & à primordio mundi originem traxisse videtur, velut legitur in Sacris de internuntio Abrahæ, quod Rebeccæ, quam herili filio uxorem petebat, γαμήλια aurea & argentea, arrhæ loco dederit, nimirum in aurem auream dimidii sicli pondus, & duas armillas denum aureorum pondus. *Gen. 24. Carpzov. Lib. 2. Jurispr. Consist. def. 51, n. 5.*

§. XIV.

Harum arrharum ratio non est illa Vulgaris quod dentur in præmium Virginitatis, vel ut uxor opulentior sit ad sustinendam fortè vidualem honestatem, sed in eo potissimum videtur consistere, ut sit pignus, tessera vel symbolum incurrens in oculos & demonstrans eam

B 2

personam,

personam, cui arrha traditur, desponsatam esse; utque & contrahentes & Testes, qui adfuerunt, certiores redditi affirmare possint, sponsalia ritè esse contracta, idque se non modo auribus, sed & oculis, atque ita duobus sensibus percepisse, quæ probatio est fortissima; Vocabulum autem *Symbolum* varias in jure nostro agnoscere significationes ex seqq. patet: Et dicuntur *Σύμβολα* apud Justinianum in *Novell. Const. 81. Codicilli*, qui sunt diplomata, quæ continent Testimonium collati à Principe publici muneris. Et apud Suetonium in Claudio legimus *Codicillos datorum officiorum*. Balduin. *Comm. Inst. quib. mod. jus Patr. potest solv. Symbola* quoque *Commessalia* vocantur in *c. 10. Distinct. 44.* ut & ea, quæ in omni actu legitimo ferè interveniunt, ut in manumissione alapa vel rapisma: in mancipatione æs & Libra: In cretione digitorum crepitus, quo in significato etiam in Contractibus & Sponsalibus arrhæ *symbola* appellantur, quæ in iis quoque interveniunt, illaque confirmant, & quidem *symbola* matrimonii promissi & complendi.

§. 2

Arrhas igitur in argumentum *capularum* & ad majorem sponsaliorum solennitatem atque probationem dari solere, ex *L. arrhis C. de spons. l. 38. ff. de ritu Nupt.* constat, & iussu hactenus deductum est. Dicendum nunc, in quibus arrhæ sponsalitiæ consistunt, & sciendum, quod datio arrharum possit fieri in quacunque quantitate vel re. *l. ult. C. de sponsal.* Etiam si quidam velint, arrhas non posse excedere quantitatem dotis vel donationis propter Nuptias seu Contentam in *l. ii. C. de repud.* Ut plurimum tamen jam olim in annulo pronubo, qui antiquitus ferreus erat sine gemma, Plin. *Lib. 33. c. 1.*, postea aureus, Hotoman. *Disput. feud. c. 22.* aliisque consistebant rebus. Qui mos ceteris paribus & hodiè asservatur, ita ut non tantum annuli, sed & catenæ & armillæ aureæ vel aureæ monetæ, Strophia, &c. arrharum nomine veniant.

§. XVI.

Duæ principales à Canonistis referuntur sponsaliorum species: Quædam enim dicuntur sponsalia de futuro, quædam verò sponsalia de præsentibus: Quæ distinctio est juri Civili incognita: De futuro sponsalia sunt, quæ sub certa conditione vel expressa vel tacita sunt inita, & vulgo dicuntur tractatus de futuro matrimonio, ita ut illa promissio futurarum Nuptiarum non contineat in se purum aut absolutum consensum, sed

sed cum quodam tractu futuri temporis; Non autem sponsalia de futuro eò appellatur respectu, ut temporum nempe præsentis aut futuri v. g. duco & ducam te in uxorem ratio habeatur, quæ sententia quoq; displicet Megalandro nostro Luthero in Lib. von Ehesachen / propterea, quod apud nos Germanos eadem sit loquendi consuetudo, sive dicas, Ich wil dich zur Ehe haben / oder nehmen / sive Ich nehme dich zur Ehe: quâque loquendi formula semper intelliguntur sponsalia de præsentis. Sponsalia de præsentis seu promissio matrimonii pura, habentur pro matrimonio initiato, usque adeò, ut mutuo dissensu dissolvi nequeant, nec poenitentia hic locum habeat. Hæc sponsalia de præsentis alia sunt publica, alia verò clandestina: Publica sunt, quæ palàm cum consensu Parentum contracta sunt in præsentia testium, quibus probari possunt: Et de his nullum est dubium, quin valeant, nisi impediuntur ratione consanguinitatis vel aliis causis. Et quando utraque pars confitetur hujusmodi sponsalia, vel si una pars neget, & per alteram probetur, tunc compelluntur consummare matrimonium, nec ab illis liberari possunt sponsalibus, nisi certis ex causis; Clandestina verò sunt, quæ sine Parentum consensu, licet coram mille testibus, sunt contracta.

§. XVII.

His præmissis, si sponsus vel sponsa absque sufficienti causâ fidem Matrimonii datam servare recuset, atque animo sit à parte alterâ penitus alienò, potius ad majus malum evitandum fidei datæ violationem tolerandam, quam Matrimonii coactionem existimant Canonistæ, *ob c. 17. X. de sponsal. ubi dicitur, monendam esse potius mulierem quam cogendam, cum coacta Matrimonia ut plurimum flebiles soleant habere exitus*; Sic etiam de jure Civili & quidem jure Romano antiquissimo sponsus sponsave, si eum eamve incepti poenitisset, solutione ejus quod interest, liberatur, *Gell. Lib. 4. Noct. Att. c. 4.* jure autem novo si nuptiæ non sequuntur ob contrariam voluntatem sponsæ, tunc si Majoræ est sponsa, reddere tenetur arrhas duplicatas, h. e. ipsas arrhas & præterea tantundem. *l. 5. C. de spons.* Minoræ autem, quæ nondum impetravit veniam ætatis & accepit arrhas, renunciatque sponsalibus, restituit tantum arrhas simplices (Minoræ enim parcitur) si ipsa vel Tutores ejus acceperint; Duplicatas verò si parentes acceperint; Quod si verò Nuptiæ ob impedimentum sanguinis vel aliud quodpiam

consistere non possint, quia nulla culpa puellæ, ideò simplices tantum arrhas reddit. Brunnen. *ad l. 5. C. de sponsal.* Idem obtinet, inquit allegatus Brunnemannus, si justa causa repudii petendi de novo accesserit v. g. scelerata vita, nam facilius à sponsalibus recedere licet, quam à matrimonio, quia in sponsalibus plerumque est res integra, in Nuptiis non item; Eadem ratio est sponsi repudiantis sponsam abolitâ poenâ quadrupli: Verbo si matrimonio inter sponso non secuto per dantem stetit, arrha amittitur, si per recipientem duplum, vel etiam quadruplum, si ita convenerunt. *l. 3. § fin. C. de sponsal.* quod & verum est de jure Canonico, quia illud non dissentit. *vid. c. 29. X. de sponsal.* Laborant autem vehementer interpretes juris in ratione inveniendâ, cur, cum omnis poenæ adjectio prohibeatur à contractu Matrimonii, dupli tamen, quadruplique ista exactio licita sit? Quid enim refert, inquit Connanus *Lib. 8. Comment. c. 2. in fin.* si stipuler à te decem, nisi mihi nupseris, aut ego dem tibi decem arrhæ nomine, cum his acceptis si non nupseris, decem debeas ultra id, quod accepisti; Respondet tamen egregiè alleg. autor, mihi expedita videtur ratio horum omnium, nam qui arrham accepit, eoque pignore se adstrinxit ad matrimonium, quod ne spe lucri fiat, quod ex pecuniæ tanto tempore retentæ usura provenire potest, cogitur non modo arrham ipsam, sed duplum aut quadruplum ejus solvere. Hodie tamen multis in locis, quando ob mutatam voluntatem sponsi vel sponsæ alteruter agit ad dissolutionem sponsalium, Uterque arrhas acceptas apud Judicem, dem Eherichter / deponere solet, & dissolutis sponsalibus arrhæ sponsalitæ non revertuntur ad dantes, sed judex eas retinet, ut hac ratione planè inter quondam desponsatos aboleatur memoria pristini amoris; confirmatis autem per sententiam sponsalibus, ex partibus restituantur.

§. XIIX.

Quid autem dicendum de Clandestinis sponsalibus, ubi deficit paternus consensus? His publica meritò sunt præferenda, nisi ad sponsalia Clandestina accesserit copula, tunc enim ea publicis præferenda esse cum communi Ddrum scholâ statuimus, quia puella viiatur, & ejus Parentibus major fit injuria & contumelia, quam ei, quæ tantum publicè desponsata nec carnaliter cognita est, & hoc in casu sponsum duplicatas restituere debere *ex l. 5. C. de sponsal.* colligere licet; Sed si
 datis

dati arrhis sponsus vel sponsa decesserit, quid juris? Quidam ex l. 16. C. de donat. ante nupt. distinguunt, utrum osculum intervenerit, an vero non? Nam ob interpositum Osculum magis firma sunt sponsalia, adeò ut dimidia duntaxat pars munerum sponsalitorum repeti possit ob osculum interpositum, quo non interposito, integra repetuntur, si sponsus sine repudio moriatur ante Nuptias. Vid. de Osculo hoc Gothofr. in Not. ad l. alleg. Hahnus verò in not. ad Wesemb. Tit. de sponsal. n. 5. distinguendum esse putat inter sponsalia de futuro & de presenti; in illis statuit restitutioni locum esse, non in his, quod casus subsequens saltem officiat in obligatione purificandâ, non verò in purificandâ, quam sententiam suam responso confirmat allegatus Autor.

§. XIX.

De Actione autem, quâ petuntur arrhæ in dictis casibus, altum est in l. 5. C. de sponsal. silentium; quare dicendum eas repeti posse Condiotione sine causa, vel etiam Condiotione causa data causâ non secuta; quando vero pœna sive duplum ex l. alleg. petitur, tum dicendum videtur Condiotione ex Lege hanc pœnam petendam esse, quemadmodum & in Emtione ex l. 17. C. de fid. Instrum. qua de re supra jam actum. Ratio hujus positionis hæc est, quia cum nova obligatio his est introducta, nec cautum quâ actione sit experiendum, recurri solet ad Condiotionem ex Lege. l. 1. ff. de condiot. ex leg. Solent etiam præter arrham & hanc pœnam arrhalem alia quoque vincula sponsalium confirmandorum adferri adversus injustum repudium ut jusjurandum, si sponsalia fuerint peracta. Hæc enim Canonistæ negant dirimi posse. c. ex literis X. de sponsal.

§. XX.

Ab arrhis nostris differunt sponsalitia largitas, & donatio propter Nuptias: quarum prima est donatio, quæ inter desponsatas personas fit, & intuitu Matrimonii præter arrham datur ad amorem conciliandum; Hæc verò est donatio, quam Maritus facit uxori, in securitatem dotis. Munera quoque nuptialia non sunt confundenda cum arrhis neque proxenetica; Munera enim Nuptialia sunt, quæ ab amicis noviter nuptis æqualiter offeruntur; proxenetica autem dicuntur, quæ dantur illis, qui Nuptias conciliant. Lauterbach in Comp. Juris Lib. 23. Tit. 3. Proxenetæ enim, inquit Cujac. Lib. 11. Observ. 18. proprie Interpretem aut Patarium significat, cujus beneficio inter duos negotia contrahuntur.

hantur. Hæc proxenetica præmia non quidem jubentur, permittendo tamen tolerantur, modò modus fervetur. *vid. l. ult. C. de sponsal. & Cujac. l. proximè alleg.*

§. XXI.

Accedimus nunc ad arrhas locatorias, quibus locatio conductio firmatur; Quemadmodum enim emptio venditio corroborari potest arrhâ, ita etiam locatio conductio, cum illa emptioni sit similis *pr. Inst. de locat. conductione*, Harprecht. *ad pr. Inst. de Empt. Vend.* Lauterbach. *in Compendio Juris Lib. 19. Tit. 2.* Non obstante quod in Locatione & conductione modo pretium h. e. mercedem det locator, modo conductor, uti ostendit Cujac. *Lib. 2. Observ. 28.* quoniam hoc verum est diverso considerandi modo: Nam qui dat suam domum vel rem aliam utendam, dicitur Locator, & semper mercedem accipit, hinc & hoc in casu Conductor arrham dat locatori; Qui verò opus faciendum accipit, Conductor appellatur, atque mercedem accipit, quapropter hoc in casu locator operis faciendi arrham dat Conductori ad confirmandum Contractum. Unde & ille, qui arrham locatoriam dedit & nondum perfectâ locatione ab eâ recedit, eandem amittit, sicuti is, qui eam accepit, hoc in casu duplicatam restituere tenetur. *arg. pr. Inst. de Empt. Vend.*

§. XXII.

An autem ancilla, quæ operas suas ad triennium locando arrham accepit, durante conductionis tempore matrimonium contrahere possit? non incommodè hic quæritur: Nos affirmativam censemus esse veriorrem: Sicuti enim venditio tollit locationem secundum Vulgatum, *Kauff bricht Mieht*; ita etiam Matrimonium subsequens ancillam nexu locationis liberat, præprimis cum Matrimonii favor sit magnus, quem semper maximoperè esse ampliandum *indicat l. 64. §. 1. in fin. ff. de condit. & demonstr.* Nec jus Divinum huic sententiæ nostræ est contrarium, statuens *Gen. 2. v. 24. Patrem & Matrem conjugium inituros debere deserere*; Si hoc, Conductor ancillam ob arrhas acceptas hoc nostro in casu cogere non potest, ut omissio Matrimonio tempus conventum fervet: idem de famulis nostris statuendum.

§. XXIII.

Sed si famulus vel ancilla infcâis Parentibus, quorum tamen consensus ad omnia eorum requiritur negotia, operas suas Domino vel Dominae

minæ locaverit, hæcque locatio arrhâ firmata sit, an hoc in casu consensus Parentum, qui Liberos in suâ habent potestate, prævaleat, an verò arrhæ datio? & R. disting. aut Parentes facultatum suarum certam habent fiduciam, ut Liberis necessarium victum & amictum suppeditare queant, & tum Parentum consensus prævalet, & arrhæ datio nullum habet effectum, siquidem ipsos nulla urfit necessitas ad servitia, sed potius luxuries & petulantia secundum Tritum illud:

Optat ephippia bos piger, optat arare Caballus.

Ideoque arrha danti restituenda: Secus si ipsis ob summam indigentiam necessaria alimenta & vestimenta porrigere Parentes nequeant, tum præferendam esse arrhæ dationem statuimus.

§. XXIV.

Quod porro attinet ad arrhas honorarias, sciendum, eas esse quæ Mandatariis Procuratoribus & Advocatis melioris certitudinis & firmitatis causa dantur; Ut ut enim de forma Mandati sit rō gratuitum, Hahn. in Not. ad Wesemb. Tit. Mandati, quia pendet ex amicitia & humanitatis officio & quando Merces accedit, non sit Mandatum, sed vel Locatio Conductio, vel Contractus innominatus, prout Merces vel est certa vel incerta, nihilominus tamen honorarium Mandatarius accipere potest. l. 6. in pr. ff. Mandat. quod in lege sequenti 7. salarium appellatur; Quod non constituitur ab initio Contractus, ut vera Merces, sed tanquam gratuite operæ ultronea remuneratio extrinsecus accedit, Donell. Lib. 13. Comment. c. 10. Si jam honorarium intervenire, ergo & arrha Mandatario dari potest, qui acceptâ eâ plenius est adstrictus ad negotia Principalis expedienda. De Advocatis notum est, quod pro operâ & labore præstito ipsis solvi debeat honorarium, quod & petere possunt. l. 3. C. de postulando, modo nihil exigant ultra licitam quantitatem, undè & ratione palmarii, non verò de quotâ litis pacisci possunt cum Cliente, quo factò arrhæ ipsis dantur, (quæ datio vocatur subarrhatio) ut eò alacrius & promptius causæ defensionem suscipiant, eandemq; ad placitum Clientis expediant: munera enim crede mihi placant hominesq; Deosque.

§. XXV.

Quæritur ergo, an Advocatus arrham acceptam restituere teneatur,
C si causa

si causa infeliciter cesserit? Negamus hoc, quandoquidem *litis eventus est dubius sicut belli, ita ut multi etiam sub justissimo clypeo pereant.* Heig. *part. 1. quest. 12.* Est enim exitus causarum in potestate & motu judicantis; Quapropter licet causa habeatur justa, nec non patrocinium advocati summâ præstitum sit industriâ, adhuc tamen incerta manet victoria, cum non semper laborem sequatur effectus. *arg. c. 10. X. de Renunciatione,* & fieri possit, ut iudex rectè & legitimè sententiam ferat, uti in dubio præsumitur, fieri etiam possit, ut iniq̄ue decernat. *l. 11. ff. de just. & jure,* & malè suo officio defungatur. *l. 55. de Re jud.* Sed quid dicendum de Advocato, qui arrhâ acceptâ promisit advocacionem ad sententiam definitivam? Respondemus, hunc latâ sententia obligatum quidem esse ad interponendam appellationem, non verò ad patrocinium in iudicio appellationis præstandum, quia causa per primam sententiam repèritur decisa; quam sententiam communem esse statuit Jason *ad l. 8. C. de procurat. vid. Carpz. in Jurispr. for. part. 1. Const. 1. Definit. 24.* nisi patrocinium promiserit advocatus in omnibus instantiis.

§. XXVI.

Ultimo loco agendum de arrhis appellatoriis, quæ non tantum Judicem certiozem reddunt de Appellatione ritè interposita, Verùm etiam Actuarium iudicii de actis scribendis: Hæ quidem Juri Justiniano sunt incognitæ, quoniam id sine numeratione pecuniæ interpositionem appellationis admittit; quibusdam tamen in locis statutæ atque receptæ: Sic in Borussia constitutum, ut à sententiâ Collegii & Judicis ordinarii Appellantes solvant certos nummos appellatorios germ. *Schaltz und Arrhen-Gelder* / duodecim nempe Marcas Prussicas, quæ intra decendum Judici, à quo appellatur, sunt numerandæ, ita ut his non numeratis appellatio regulariter non subsistat; Quando jam appellans deserit appellationem suam, perdit arrhas datas; quod si vero in secunda instantia vicerit, octo marcæ appellanti sunt restituendæ secundum tenorem juris Provinc. *vid. Pr. Sr. Lib. 1. Tit. 44. art. 5. §. 1.* quam tamen restitutionem praxis remittit; *Consuetudo enim inveterata legem imitatur. §. 9. Inst. de jure N. G. & Civil.* Ratione magnitudinis causæ vicesimam Litis partem requirit *Statut. Hamb. de Anno 1645.* De cætero is, qui beneficium Revisionis petit, ad eam non admittitur, nisi cautio-

cautionis loco certam pecuniam deponat, sicut arbitrariam hanc summam esse in Curia Mechlinensi statuit Christineus *i. Dec. 48.* Is quoque qui in Imperio Rom. Germanico Revisionem apprehendit, certam pecuniæ summam non statim quidem, sed quando Revisores sunt præsentés, & quantitatem æstimare possunt ac æstimant, deponere debet eum in finem, ut si sententia, à quâ revisio petita confirmetur, ista summa Fisco Cæsareo in usus Camerae cedat, si verò reformata sententia, deponenti restituatur. *vid. Ord. Cam. Spirens. de Anno 1555. & Illustr. Dominum Rhetium Lib. 4. Inst. Jur. Publ. Tit. 21. §. 10.* Qui modus procedendi in datione arrharum appellatoriarum nec in Livonicis in desuetudinem abiit Judiciis, sed in omnibus fermè custoditur & in viridi tenetur observantiâ, prout Statuta ejusdem Provinciae volunt.

SOLI DEO GLORIA.

COROLLARIA

EX

JURE FEUDALI.

I.

Vassallus fidelitatem præstare debet Domino, non obstante *c. un. §. 1. in fin. 2. Feud. 24.* ubi dicitur: potest Feudum constitui, ne fidelitas præstetur.

C 2

II. Ob

II.

Ob feudum Vasalli servitia præstare tenentur Domino, & non tenentur, ut in Feudo Franco: nec nobis adverstatur, servitia necessario requiri ad Feuda.

III.

Vasallus Dominum cucurbitans feudum amittit.

EX JURE PUBLICO.

I.

NOMINA Marchionum, Principum, Comitum, Baronum, Landgraviorum, Burggraviorum &c. fuerunt nomina officiorum & nunc principalem dignitatum.

II.

Nobiles Imperii immediati & liberi

beri non sunt Status Imperii: non obstante Instrumento Pac. Osn. *art. 4. §. 17.* Sunt quidem immediati, & pingua habent privilegia, imò omnia ferè Regalia, quæ jure superioritatis Territorialis habent Status imperii; Verùm non prætere eadem possunt dicto jure Superioritatis Territorialis, quo non gaudent, sed tantum nomine Privilegiorum.

III.

Matrimonium ad Morganaticam contractum est licitum, & vocari solet ita per textum 2. *Feud. 29. §. per §. Filii*, 2. *Feud. 26.* Originemque habuit à Germanis & inductum fuit occasione Morgengabæ, portionis, quam doni matutinalis loco, personæ illustres & nobiles sponsæ suæ dare solent.

C 3

Præ-

PRæstantes Juvenes micat EGGERDESIUS inter,
Ut pius, ut doctus, sedulus, alta petens.
Hinc Respondentis doctis jam applaudimus ausis:
Pergentem maneant præmia larga, precor.

Gratulabundus

scr.

THEODORUS PAULI, D.

CUm doctis, verum est, te contraxisse Camoenis,
Nam tua sedulitas pignus & arrha fuit;
Illæ Pierias te deduxere sub arces,
Et te doctrinis erudiere suis.
Contrahe cum Patriâ, cui mentis tradito dotes,
Et dabit hæc Arrhis præmia larga tuis.

*Nobilissimo Domino Respondenti, Auditori suo
strenuo, specimen bocce eruditionis suæ pu-
blicè propugnanti gratulabatur*

P R Æ S E S.

AD patrios fausto rediturus calle Penates,
Sudatum doctâ Pallade promis opus.
Scilicet istud erat studiorum nobile pignus.
Hoc pignus lucrum grande, decusq; paret!

*Pauca hæc, honori Politissimi Domini Auctoris,
Auditoris mei, modestiâ & diligentia mul-
tum conspicui, consecrabam*

M. MICHAEL HOYNOVIUS.

Dum

Dum scandis Cathedram proponens dogmata
vera

Arrhæ, demonstras sedulitatis opus.
Arrha rei certæ, cum Sponsor, jure vocetur,
Ipsa tuæ, Sponsor, prosperitatis erit.

*Hunc qualemcumq; applausum Præstantissimo
Auctori, amico meo gratissimo
debebam*

C. W. STAKELBERG.

Eques Liv:

Sic Pegasus Livonicas
Volabis hinc ad oras,
Nec usitatâ vel levi
Isthuc ferere pennâ:
Qui grandibus laboribus
Parnassias amasti,
Et pallidis sudoribus
Apollini litasti.
Hæc vita nobis convenit,
Qui Litteris favemus:
Sublimis est, sublimis est,
Ars illa quam studemus!
Parnassus est, Parnassus est,
Mons ille quem tenemus!
Non hîc jacentes mollibus
Scientiæ grabatis,

Verùm

Verum nec hordeaceo
Visuntur in liquore.
Non hic scelesti languidum
Tenet Vacuna sceptrum,
Non temulentas thyrsiger
Turbas fovet Lyæus.
Non hinc sequuntur Cypriam
Fœdæ ducem cohortes.
Felix Amice! qui litem
Hanc strenuè cavendo,
In alta scandis pulpita,
Et scandis eruditus,
Exornet ergo Patria
Te præmiis, tuasque
Laudes canat loquacibus
Verbosa fama buccis.

*Rudi hocce colore umbram laudum Nobi-
lissimi Domini Respondentis, Amici sui
suavissimi, depinxit*

DANIEL HOYNOVIUS, Milcâ Pruss,
SS. Theol. & Phil. Stud.



Königsberg, Piss., 1686-94

ULB Halle 3
004 356 780



R
H.

WMA







ATIO JURIDICA,
DE

3/ 1689, 4

RHIS,

17

Quam
vini Numinis Gratiâ,
&
issimâ Facultate Juridicâ,

in
I ALBERTINA,

moderamine
Amplissimi atq; Excellentissimi

II CHRISTIANI NBERG

hujus Academiae famigeratissimi,
is Assessoris Gravissimi, Præceptoris ac
sui ætatem devenerandi,

ventilandam exponet
US EGGERDES, Livon.

of. & L.L. Stud.
& RESPONDENS,

31

ITORIO MAJORI,
LXXXIX. d. Martii.

PRÆLO REUSNERIANO.